omnibus hominibus. Dominus enim prope est. Nihil solli
citi sitis. sed in omni oratione & obsecratione cum
gratiarum actione. petitiones uestrę innotescant apud
deum. Et pax dei quę exsuperat omnem sensum. custo
diat corda uestra & intellegentias uestras. In christo ihesu
domino nostro.

IN UIGILIA UNIUS APOSTOLI.

LECTIO LIBRI SAPIENTIĘ.

BEATUS UIR QUI INVENTUS EST SINE
macula. & qui post aurum non abiit. nec
speravit in pecunia & thesauris. Quis est
hic. & laudavimus eum. fecit enim mirabilia in
uita sua. Quis probatus est in illo. & perfectus est. &
erit illi in gloria ęterna. Qui potuit transgredi & non
est transgressus. facere mala & non fecit. Ideo stabi
lita sunt bona illius in domino. & elemosinas illius
enarrabit omnis ęcclesia sanctorum. IN NAT. APTOR.

LECTIO EP. B. P. A. AD EPHESIOS. FRS.

IAM NON ESTIS HOSPITES ET ADVENĘ. SED
estis cives sanctorum & domestici dei. Superędificati su
pra fundamentum apostolorum & prophetarum. ipso
summo angulari lapide christo ihesu. In quo omnis

© Bayerische Staatsbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bsb_clm18669/0219